



**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

Delvaux, André

Coloniæ Agrippinæ, 1686

Tit. 8. De concessione præbendæ & Eccles. non vacantis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](#)

dinandorum, & præficiendorum beneficii, vi-
deri possunt, quæ alibi de his diximus, lib. I. tit.
14. § 3. & 5. Quibus illud h̄i caddo, semper at-
tendi eum Ordinem oportere, quem ipsa digni-
tas vel beneficium ex sui natura vel consuetu-
dine aut statuto requirit, non autem, quem for-
tè requireret aliud beneficium eidem unitum:
nam hoc non alterat, sed sequitur naturam
eius, cui unitum est, prout in simili declara-
vit sacra Congregatio Cardd. Interpp. Conc.
cujus declarationem refert Pialec. p. 2. cap. 5. art.
5. n. 17.

7. Scientia verò talis requiritur, quæ ad mu-
nus beneficio annexum ritè & debitè obeun-
dum est necessaria, arbitrio Episcopi & exami-
natorum: ideoque major vel minor, pro di-
versitate munorum. Pialec. d. art. 3. n. 11. & seqq.
Repetenda hic quoque sunt, quæ de qualitate
scripsimus ordinandorum, d. lib. I. tit. 14. §. 2.
Quod autem DD. communiter afferunt, col-
lationem factam illiterato esse nullam, limitan-
dum puto ad omnino salam illiteraturam cum
quis Grammaticus non est, vel nescit legeret
alioqui quando vel mediocris est doctrina ac
literatura, existimo tenere collationem,
sed beneficiatum beneficio privandum, tenen-
tique ad renuntiandum, c. Dudum sup. De electio-
ne, c. ult. sup. De atate & qualit. & c. 1. Nisi sup. De
renuntiacione.

8. Videndum etiam est, ut, si beneficia de-
beantur certis personis, seu certo generi per-
sonarum, ex fundatione (eius forma servanda
est in provisione beneficiorum, Garz. 7. p. c. 15.
n. 4 & 5.) institutione, statuto, consuetudine
vel privilegio, iis conferantur, modò scilicet
sunt habiles, arg. I. Vi gradatim versie eis legere D.
De munib. & honorib., Garz. d. loco n. 2. & 3,
juncto num. 12. nam altius prælentatio vel pro-
visio facta non habent qualitates, ex funda-
tione requisitas, est invalida, nempe si quis,
eas qualitates habens, contradicit & sibi pro-
visionem fieri petat. Videatur pleniū Garz. d.
loco.

9. Præterea observandum est, Concilium
Tridentinum Sess. 24. c. 12. statuere, ut provisi-
de beneficiis quibuscumque, curam animarum
habentibus teneantur à die adeptæ possessionis
ad minus intra duos menses coram Episcopo,
vel eo in aedito, coram generali ejus Vicario seu

Officiali publicam Fidei facere professionem
provisi autem de Canonicatibus & dignitatibus
in Ecclesiis Cathedralibus noui: solum coram E-
piscopo seu eius Officiali, sed etiam in Capitulo
idem præstare teneantur, sub penitentiæ ibidem sta-
tutis. Vide Pialec. d. cap. 5. art. 3. num. 89. & Zy-
pænum, Tit. de præbendis n. 3. Denique sub judi-
cium hoc loco foret de modo quo conferri debet
aut beneficia, sed quia de eo pro parte agitur in-
fra in Tit. Ut Ecclesiastica beneficia sine dimis-
tione conferatur, ideo h̄ic dicenda; ut simul, & se-
mel ea de se tractetur, ad eum Tit. rejeicimus.

TITULUS VIII.

De concessione præbendæ & Ecclesiæ non vacan- tis.

§. I.

Beneficia quando conferenda,

1. 2. Beneficia non conferenda aut promittenda, nif-
vacent.

3. Licei in genere quis promittat.
4. 5. Expectativa sublata, etiam olim in Belig.

S Olent præbendæ ac dignitates, aliaque bene-
ficia Ecclesiastica conferri aut promitti, ar-
tequam videntur; & quandoque, dum vacant,
non conferri: sequitur proinde, ut videamus
ram de præmissionibus & concessionibus non
vacantium, quām de negligentia circa conce-
ssiones vacantium, & tradamus breviter, quando
conferri debeant, vel non.

1. Conferri autem debent, quando vacant,
& non antē, quia non vacantis beneficij colla-
tio, tanquam continens totum caprandæ mor-
tis alterius, (quod est contra bonos mores, l.
ult. c. de pactis) est ipso jure reprobata & nul-
la, c. 1. & 2. & per tot. hoc tit. can. Non furem vii.
qu. 1. Adeò quidem, ut si quis impetrat scien-
ter, aut se patiatur in beneficium viventis insti-
tuti, ab Ecclesiastica communione sit arendus
& de-

& deponendus, id est, sacris ordinibus, quibus
initiatus est, spoliandus, d.c. 1 h.t. sitque inhabi-
lis, etiam eo mortuo, ad illud consequendum
absque dispensatione summi Pontificis, Panor-
mit, ibid.

2. Si vero non patiatur quidem se institui, sed
tunc promissioni beneficij non vacantis
aceperit, jus nullum ad beneficium requirit,
qua vetat etiam Canon beneficia non vacantia
promitti, d.c. 2 *Ex tenore 13. h.t. Conc. Trid.*
Sess 24. cap 10. De reformat.

3. Nec refert, an generaliter, an specialiter fiat
beneficii non vacantis promissio, d.c. 1. Ideoque
non obstante tali promissione, potest beneficii
um, simul arque vacat, alteri, quam cui promis-
sum est, conferri; non obstante etiam applica-
tione, cui promissum est, c. *Reatum 3. h.t.* Et licet
jure Decretalium Greg. IX. Praelatus, qui
promisisset forte in genere se alicui de beneficio
prospecturum, videatur ad hoc obligatus, c. *Acci-
dens 14. h.t. cōd* quod promissio hujusmodi non
ita adjunctum habeat votum captandæ mortis,
cum multis aliis modis adimpleri possit, quam
per mortem alterius, veluti si beneficium adhuc
obtinens coadjutorem petat, c. *De rectoribus 3.
sup. De Cler. agrotante;* si præbendam opulentam
inter duos Episcopos dividat, c. *Vacante 26. sup.
De præbendis:* tamen jure Decretalium Bonif.
VIII. talis promissio est verita, s. *Deteſtanda eod.*
in 6.

Non obstat d. cap. *Relatum:* quia ibi Episcopus
jam recepto in Canonicum promiserat præ-
bendam, ad quam conferendam etiam sine pro-
missione tenebatur, cum Canonicatus non de-
beat nec possit esse diu sine præbenda.

4. Sed nec expectatiæ dari amplius pos-
sunt ad primum beneficium vacans: quia illas
novissimæ dati vetuit Concilium Tridentinum
Sess 24. cap 19. De reformat. ut etiam frustra Oc-
dinari accedat consensus, ut ex declaratione
Card. tradit Gonzales ad Reg. VIII. Cancell.
f.i. *proœmialium 63.* ubi subiungit candem
Congregationem declarasse, ex eodem decreto
expectatiavarum prohibitarum seu abrogata-
rum non posse erigi Canonicatum supernu-
merarium ad futuram præbendam: atque in-
super illud decretum tolli omnes mentales
reservations; quales erant, quando Papa reſer-
vabat beneficium vel in specie, vel in genere, per

Bullam vel per Breve, ad providendum personæ,
quam non exprimebat, sed in mente retinebat.

5. Sed & hic in Belgio nostro jam olim prohi-
bitas fuisti exspectativas per Maximilianum
Imperatorem litteris Edicti datis Mechlinia 12. Se-
ptember, 1485. & regresus ad beneficia resigna-
ta, reservations pensionum, translationes, in-
seuis & invit. s. qui gravata beneficia possiderent,
refert Zypæus *De Iure Pontif. novo lib 3 h.t. in fin.* 6.

§. II.

Quibus modis beneficia videntur.

1. Vacare contingit beneficia variis modis.
2. Qui ad ista vel quatuor genera revocari pos-
sunt.

Variis autem modis vacare contingit bene-
ficia; Primum, per mortem naturalem be-
neficiati. Secundum, per renuntiationem simpli-
cem, vel ex causa permutationis, ita tamen,
ut, si beneficium sit juris patronatus, consen-
sus interveniat patroni; quem sufficit super-
venire postea. Riccius latè *Decis. 219.* Tertio
per privationem & depositionem. IV. Per elec-
tionis cassationem. V. Per translationem. VI.
Per adoptionem secundi incompatibilis paci-
ficam. VII. Si quis habens parochialem Ecle-
siam non fuerit promotus intra annum. VII'.
Si beneficiatus contrahat matrimonium vel
sponsalia per verba de præsenti, modo autem ex-
plicato. IX. Si quis per vim obtineat seu oc-
cupet secundum. X. Per ingressum Religionis,
Professione secundâ XI. Si electus intra mensem,
a tempore præsentiaræ electionis, vel a tem-
pore præstituto, non consenserit, vacat Præ-
latura, &, si intra tres menses, post consensum
electioni datum non petierit confirmationem,
ipso jure amittit jus sibi quæ situm per electio-
nem. XII. Vacant beneficia Episcopi electi
& confirmati, post menses tres; daros
ad petendam consecrationem. XIII. Quando
beneficium habetur pro derelicto. XIV. Quan-
do quis alienat res beneficij sui. XV. Per crimem
hæresis, fœmonia, læsa Majestatis, sententiâ
declaratoriâ præcedente: & pluribus aliis mo-
dis, quos vide apud Staphilium *De literis
gratia 11. De variis modis vacationis.* Rebuffum in

in Praxi beneficis. Tit. V. quæst. ad collationem bonam à n. 49. & Tratt. De Regia ad Prælaturas nominatione. § monasterii V. Vacantibus, ubi enumeratur tristitia & unum modus.

2. Possunt tamen omnes hi modi revocari ad tria vel quatuor genera. Nam beneficia vacant vel de facto tantum, vel de jure tantum vel per sententiam Judicis, vel denique de jure & facto simul. Ipso facto tantum vacat beneficium, quando quis de facto, vel metu, cogitare reliquere sui beneficii possessionem, vel vi de possessione detinatur, e. 2. & 3. sup. *De his, qua vimetus ve caussa sunt.* Ipso jure tantum vacate dicuntur, quando ab ipso jure inducitur vacatio, seu quando, certo aliquo casu adveniente, ab ipso jure declaratur quis privatus beneficio, ita ut absque aliqua declaratione Judicis aut monitione vel curatione illud alteri conferri possit, licet is, qui jure privat, possideat beneficium. Per sententiam Judicis vacat, quando ab ipso Judice ob aliquod delictum inducitur vacatio, seu privat, qui beneficio. Ipso jure & facto vacat per mortem beneficiati vel per reauniationem vel resiguationem veri tituli,

§. III.

Intra quod tempus conferri debeant.

1. *Conferri debent intra sex menses*
2. *De beneficiis in Commendam dari solitus.*

1. **C**onferri beneficia debent intra statuta tempora, id est, intra sex menses: alioquin in clavis, ab Episcopo, si eum spectet collatio, ea devolvitur ad Capitulum, & contraria Capitulo ad Episcopum. Hinc ad Metropolitanum, e. 2. b. t. & ab hoc ad Patriarcham, cui Metropolitanus subjicitur, vel, si nulli Patriarchæ subjiciatur, ad summum Pontificem. Hoc tempus sex mensium computatur non a die vacationis, sed a die, quo collator scivit vel scire debuit beneficium vacare: neque illud legitimè impedito cutrit, e. *Quia diversitatem* 5. b. t. e. 3. sup. *De supplenda negligentiæ Prælator.* Quod si collator post tempus sibi præfixum contulerit beneficium adhuc vacans alteri, sustinetur quidem eo casu collatio, sed ex patientia, dummodo contulerit idoneo.

2. *Quandoque vero beneficia vacantia non*

conferuntur in titulum, sed commendantur. Et autem commendare nihil aliud, quam depone, l. *Commendare* 108. D. *De verb signif.* l. *Lucas* D. *Depositum can.* *Ne quis arbitretur xxii. quæst. 1. cap. 1. inf. De Deposito, Glos. in cap. Nemo sup. Di electione in V. *Commendare* Sed quia de confirmatione beneficiorum nec tempus, nec brevitas, cui studio, fuisse agere permittit, videri potest Azot. 2. p. *Institut. moral lib. 6. c. 3.* & alii, quos citat Gonzal, ad Reg. viii. *Cancell. Glos.* 5. §. 1. nn. 62. & Garz. *De benef. 4. p. cap. 4.**

Illud tamen notandum, quod beneficium commendatum, sive ad tempus, sive in perpetuum, morte commendatarii non centetur vacare per obitum. Latè Gonzales d. loco à num. 48. Quodque, ut in Gallia nihil penitus frequentius est Vicarii perpetui, ita nihil quoque videatur Ecclesiæ Gallicanæ esse perniciosum, dum ut plurimum pueris & infantibus dignitates & beneficia in Commendam dantur. Prudentius sancti Principes Belgici Ecclesiæ consulunt, dum hujusmodi Commendas non concedunt, nec ullis nisi Professis Regulariæ dignitates conferunt: tantaque circumspectio indulto suo quoad nominationem & primarias dignitates utuntur, ut ipsæ Ecclesiæ ipse non possint à Cleri electione meliora sortiri, quia à nominatione Principali, ut se. Et è scribit Zypæus, *Tit. de Clerico agorante* 3. Subjungens 4. jam olim in Brabantia Ordines à Principibus suis stipulatos fuisse, ne ipsæ vallas dignitates in Commendam darent, aut permitterent dari; idque summo Republicæ bono, quamvis in Burgundia nos nihil ab hismodi voto deflectatur; ex virtute vicini, inquit, aëris.

§. IV.

De pluralitate & incompatibilitate beneficiorum.

1. *Beneficia quædam compatibilia, quædam incompatibilia.*
3. *Incompatibilia vel sunt primi generis.*
4. *In quibus solus Pontifex sat regulariter.*
5. *Vel sunt incompatibilia secundi generis, id est quoad retentionem.*
6. *In quibus Episcopus dispensare potest.*
7. *Compatibilis sunt simplicia beneficia.*

8. DHM

8. *Dummodo alterum non sit sufficiens ad sustentationem.*
9. *Nec tunc dispensatione opus est de consuetudine.*
10. 11. *Quodnam dicitur sufficiens.*
12. *Diformia sub eodem testo esse compatibilitas.*
13. *Nullus triplex esse potest in eadem Ecclesia.*
14. *Ex quibus causis beneficia sine dispensatione sibi compatiantur.*
15. *Ex quibus cum dispensatione.*

NON abs re fuerit, si aliqua de pluralitate. **T**e & incompatibilitate beneficiorum subiecte.

Eratamethi varii existent Juris textus, quibus probari videatur, beneficia omnia esse incompatibilis, quia quodlibet beneficium de jure communis personalem requirat residentiam, unde potissimum resultat incompatibilitas, & quia multitudine præbendarum invitit ad dissolutam vitam, & divagationem de Ecclesia in Ecclesiam, contineatque magnum animarum periculum, cum unus occiperet stipendium aliorum, qui Ecclesia etiam defervere valeant, sed præiopion posseint, c. In tantum 3 b.t. non desunt tamen alii, ex quibus probari potest, eorum quedam esse compatibilis, quedam incompatibilis, ut in c. *Gratia sup. Derecriptis, in Clement.* *Gratia cod. tit.* Unde & Conc. Trid. Sess. 7. cap. 4. *Dereformat.* supponit quedam esse compatibilis.

2. Dicuntur autem compatibilis, quæ vel ex jure communi, vel ex consuetudine, vel statuto aut fundatione, simul obtineri ac retiniri possunt. Incompatibilis vero, quæ nec de jure communis, nec ex consuetudine, statuto aut fundatione, simul possunt retiniri. Talia sunt duo beneficia curata, due dignitatis, duo personatus, duo officia, sive in eadem Ecclesia, sive in diversis; & pleraque alia, personalem residentiam requiriunt, c. *Ad hac 13. c. Præterea 14. c. Cum non ignorat.* *De multis 28 sup. De prabendis.*

3. Incompatibilis duplices sunt generis: nam alia ita sunt incompatibilis, ut per adceptionem secundi pacificam, unâ cum libera fructuum perceptione, aut ubi per beneficium stererit, quod minus accepit possessionem, vacet prius ipso jure. Talia sunt duo curata beneficia, due dignitatis, duo personatus, duo officia, & alia,

quæ jurisdictionem aliquam annexam habent, ut visitandi, corrigendi, excommunicandi d. c. *De multis, & Extravagante Exceribilius Ioann. xxii. De prabendis.* Item unum cathedralē cum parochiali, ex nova dispositione Concilii Tridentini, Sess. 24. c. 17. *Dereformat.* Item duo uniformia sub eodem testo, id est, in eadem Ecclesia, ad eandem functionem instituta, idemque onus & officium habentia, eodem tempore exemplum; cujusmodi sunt duo Canonici, duæ Capellaniæ in eadem Ecclesia. Alioquin ad inducendam hujusmodi incompatibilitatem non sufficit, quod sint in una Ecclesia, vel quod simili nomine nuncupentur. Navat, *Consil. 16.* *De prabendis.* Pias. 2 p.c. 5. art. 3. n. 72. Vide latè Riccius in *Praxis Decis.* 41. Et hæc vocantur *Incompatibilis primi generis;* & prius, quod vocat ipso jure per adceptionem secundi, teleiatur Sedi Apostolice, d. *Extravag. Excerabilis.*

Intelligitur autem tunc demum vacare primum, posteaquam quis fuerit natus pacificam possessionem secundi, cum libera fructuum perceptione, fraude cessante. Unde si fructus secundi ex aliqua causa alteri ad tempus debeantur, non ceaserunt vacare primum, cap. *Si iibi absentiis De prabendis in 6.* & ibid. Franc. Gemin. Dias in *Praxis c. 42.* Pias. d. loco n. 74.

4. In hujusmodi vero beneficiis simul retinendis non potest dispensare Episcopus, cum id aperte prohibetur in d. c. *Domulta;* & quia prohibitus est Concilii, contra quod dispensare non potest Episcopus, c. *Cum dilectus juncta Gle. in V. in astate sup. De Elest.* nisi gravis subit necessitas, quæ legem non habet, aut evidens utilitas; potissimum ubi Pontifex confuli nequit, qui alioqui solus relaxare sive commune potest, non etiam Episcopus vel Legatus, Pias. d. loco n. 78, ex Archid. Staphil. Rebuffo, quos citat.

5. Alia sunt incompatibilis quoad retentionem tantum: quia scilicet simul retinendi non possunt absque dispensatione. Non tamen ita sunt incompatibilis, ut per acceptationem & possessionem pacificam secundi vacet prius ipso jure, sed datur optio habenti, ut eligat retinendum; altero vero potest per superiorum privari. Et hæc vocantur *incompatibilis secundi generis:* hujusmodi sunt dignitatis & Canoniciatus diversis Ecclesiis, & reliqua, residentiam qui-

quidem personalem requirentia, non tamen habentia curam animatum, dignitatem, personatum, vel officium annexum; nec sunt uniformia sub eodem recto, licet simplicia sint.

6. Et quoad retentionem hujusmodi beneficiorum dispensare potest Episcopus, *juxta Gloss. communiter receptionem in c. Dudum in V. intitulatam sup. De elect.* cum nullibi prohibeatur, Imò & consuetudo justa in talibus excusare potest, cum eodem modo consuetudo, quo dispensatio derogare jure possit, e. ult. sup. *De consuet.* Piasec. d. loco n. 81.

7. Compatibilis sunt simplicia beneficia quæ ex statuto, vel consuetudine, vel fundatione, personalem residentiam non requirunt, vel quorum unum requirit residentiam, alterum non utique.

8. Quando scilicet alterum non est sufficiens ad congruam sustentationem beneficiati: alioquin si unum sufficiat, recineri simul de jure communis nequeunt, e. *Conquerente 6. sup. De Clericis non resident. can. Singula Distincta 89. & similibus;* quibus statuitur, ut singula Ecclesiastici: uris officia singulis quibusque personis conferantur, & ne aliquis in duabus Ecclesiis intruleret, ut loquitur summus Pont. in *can. Sacramentorum Dist. 70. & can. Clericus xxii. qu. 1.* Coacil. vero Trident. *Sess. 24. c. 17. de reform.* Statut. ut in posterum singulis unicum dumtaxat beneficium conferatur: quod quidē fad vitam eius, cui conferatur, honestē sustentandam non sit sufficiens, liceat eidem aliud simplex sufficiens, dummodò strumque personalem residentiam non requirat, conferri; non contra, ut abenti beneficium sufficiens coepedatur aliud insufficiens.

9. Et generali consuetudine obtingit, ut in talibus simul retinendas non petatur dispensatio, sed conscientia cuiusque relinquatur, ut secum iudicet, an unum non sufficiat ad sui sustentationem, quo excusari possit apud Deum Piasec. d. loco n. 84. ubi tamen subiungit, tertiorem & communiorē sententiam esse, ut hoc in arbitrio sit iudicis, ilque estimet sufficientiam beneficii, considerata qualitate personæ, loci & temporis, cum unum & idem beneficium, respectu temporum & personarum, nunc magnum & sufficiens, nunc parvum seu tenue videri possit.

10. Interim illud sufficiens dici potest, ex quo Clericus, pro gradu sui conditione, se, suo-

que familiares, parentes, fratres, & consanguineos egentes, honestē sustentare valeat, non etiam augere studeat, ut ex Concil. Trident. *Sess. 25. cap. 1 de reformat.* tradit Zypæus *de iure Pe-
tiff. nov. lib. 3. Tit. De Clericis non resident. num. 1.*

11. Præterea in dijudicanda sufficiencia hujusmodi non est habenda ratio bonorum patrimonialium, cum illa, fructusque eorum retra-re sibi beneficiatus possit, & ex fructibus solius vivere beneficii, secundum communem DD. *sententiam, teste Piasec. d. loco n. 86.* ubi Felio. Co-
var. Navar. & alios citat.

Cæterum memorat Zypæus *d. loco n. 4. exer-
cits & justis causis induitum esse Canonis Antverpiensisibus privilegium, ut plura beneficia possint obtinere & retinere, modò non sinter-
rata, aut personalem residentiam de jure &
consuetudine non requirant; atque illi hodi-
que locum esse.*

12. De beneficiis disformibus sub eodem recto, *an ea sint incompatibilia, dissentientia Inter-
pretes.* Verius est, de jure communi esse compati-
bilis, si modò alias sibi mutuò non pugnant,
ratione residentia aut servitii, Lessius 2. *De iure
Instituta cap. 34. num. 44.*

Dixi, de jure communi; quia sunt quadam declarations Cardi, quibus disformia sub eodem recto declarari ex mente Concil. Tu-
dient, esse incompatibilia: secundum quæde-
clarationes, si à summo Pontifice sint approba-
tæ, consequenter dicendum, post Coacil.
Trident. per affectionem secundi, cum pa-
fica possessione & libera fructuum perceptione,
vacare ipso jure primum.

13. Non potest tamen quis in eadem Eccle-
sia habere triplex absque dispensatione summi
Pontificis; nec valer consuetudo aut statutorum
in contrarium, c. 1. *De consuetud. in 6. Gazzas.
11. c. 5. num. 23.*

14. Porro, ut summatim dicam, certis cas-
bus, plura simul beneficia obtinere quis potest
aut sine dispensatione, aut cum dispensatione.
Sine dispensatione: Primo quando sunt puræ
simplicia, etiam Canonicatus, quorum neu-
trum sufficiat ad congruam sustentationem be-
neficiati, & alterum non requirat residen-
tiam, sive ex institutione, sive ex prescripta
consuetudine: imò etiam quando unum est
sufficiens, modo non sit Canonicatus & alte-

rum insufficiens non requirat residentiam.
15. Vbi observandum, quod licet ante Conc.
Trident duo cutata beneficia ita tenuit, ut non
poterint Rectorem alere, potuerint recinere abs-
que dispensatione, c. Eam te sup. De astate & qua-
state ordinis tamen post Concil. Sess. 24. c. 17. De
reform. nequeant retineri absque dispensatione
omni Poenitificis.

Secundò, si Ecclesia Cathedralis vel paro-
chialis, aut dignitas, propter angustias tenuita-
temque non sufficiat sustentationi congruae sui
Rectoris, potest simul cum ea obtinere benefici-
um simplex, non requirens residentiam Colligi-
tur Conc. Trident. d. Sess. 24. cap. 13. & 17.

Tertiò, quando dignitati aut Canoniciatu-
m accessoriè annexa est parochialis, quæ per Vi-
carium administrari solet: quia beneficium u-
nitum alteri perpetuè & accessoriè censemur u-
num eam illo, & naturam ejus induit, licet sim-
plex fuerit; imò prædium ejus reputatur, ut
proinde hoc casu magis unicum beneficium ob-
tineatur, quam plura.

Quarto, si unum detur in titulum, alterum
in commendam ad tempus, veluti sex menses,
quamvis sit parochialis Ecclesia, quia com-
menda ejusmodi non dat titulum, nec inducit
incompatibilitatem, can. Qui plures XXI. q. 1. c.
Duum 54. circa fin sup. De elect. & ibi Glos. in V.
intulit am. c. Nemo eod sit. in 6. Piasec. d. art. 3.
n. 76. Eo ramen casu videtur requiri saltem Or-
dinarii dispensatio. Commenda vero perpetua
quia titulum dat Canonicum, Joan. Monach.
in Nemo deinceps De elect. in 6. beneficium redi-
dit incompatibili s habetque locum in hujus-
modi commendis cap. De multa hoc tit. Piasec. d.
art. 3. n. 77. Vide Concil. Trid. Sess. 7. De reform.
cap. 4.

Per dispensationem vero incompatibilia quis
obtinere potest, ex justa causa: veluti ob Ec-
clesiae necessitatem, ut quia alii idonei desint;
vel ob magna utilitatem, ut si non sint
ali potentes satis ad Ecclesia ruitiōnem; vel
ob meritorum evidētēm prærogativam, qua-
lis est nobilitas, dignitas personæ, littera-
tura insignis, industria, prudentia, c. De multa
28. & d. Extravag. Execrabilis. Sed haec causa
revocatur ad secundam. Dispensat autem in
incompatibilibus primi generis solus Pontifex
regulariter, ut antea monuimus; in aliis etiam

Legatus vel Episcopus, modo utrumque perso-
nalem residentiam non requirat. Conc. Tri-
dent. d. Sess. 24. cap. 17. Ceterum coniunctio
possidenti plura nihil prodest, quia hæc non est
aut intelligitur dispensatio, c. Cum jam dudum
18. in fin. sup. de probandis.

TITULUS IX.

Ne sede vacante aliquid inno-
vetur.

1. Capituli nomine quid hic intelligatur.
2. Sede vel Ecclesia vacante nihil innovandum.
3. Capitulum Sede vacante beneficia conferre ne-
quis.
4. Potest iamen conferre beneficia de voluta.
5. Potest & dare ei commendam ad tempus.
6. Sede vacante administrat & iurisdictione Epis-
copali fungitur.
7. Vnde judicat &c. item confirmat vel infirmat
electos.
8. Recipit resignationes beneficiorum & instituit
presentatos.
9. Dispensat cum illegitimo quoad Ordines mino-
res.
10. Unum beneficia.
11. Abjicit, à casibus Episcopo reservatis.
12. Non ramen exercet ea, quia sunt ordinis Episco-
palis.
13. Ex decreto Concil. Trid. Capit. Sede vacante
Oeconomum & Vicarium constituit.

Constat ex antedictis, collationem præ-
bendarum & dignitatum de jure com-
muni pertinere ad Episcopum. Vnde du-
bitari poterat, an Sede vacante, id est mortuo
Episcopo vel etiam excommunicato, aut sus-
penso ab officio, Capitulum succedat Episcopo
in corundem collatione.

1. Vbi pro clariori intelligentia præmittendū
est, nomine Capituli hic intelligi ipsum
Canonicorum Collegium, seu Canonicos
congregatos: nam soli Canonicī (non etiam
alii Clerici, quantumvis in eadem Ecclesia
beneficiati) unā cum eo, qui illis præfet, sive
Decano

N.B.

Decano